



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Feminarum imperium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

bus efflare spiritum seu halitum; hinc adagium: *fumantem urfi nasum ne tentaveris.*

Neque verò iræ tantum impetus sunt ad rationis moderamen flectendi, sed cæterarum quoque affectionum humanarum, præsertim cupiditatis, voluptatis, timoris commotiones opus habent Æolo prudenti, qui non sinat eas temerè velut discordes in prælia ventos procurrare, sed regat, domet, & premat habenis.

III. (c) Notandum est, quod Maro loc. cit. Æneid. Junonem inducat blandissima verba dantem Æolo, quibus eum ad tempestatem in mari adversus Trojanos concitandam adhortatur. Hoc scilicet faciunt Junones istæ, superbæ, iracundæ; quibus satis non est solis miscere cælum terræ, ipsùmque Acheronta movere, nisi viros etiam in partem suarum libidinum rapiant. Alexander Macedo ut Persepolin, nobilissimam Persidis urbem incenderet, Thais ei temulenta facem prætulit. Curt. lib. 5. *Celsa sedebat Æolus arce, sceptrum tenent;* quis hunc regem de sua quiete movit; & eum turbavit, qui turbas ventorum sceptrum suo domat; quis incitavit ad tempestatem in alieno regno, nempe Neptuni, exuscitandam? Juno fuit, femineâ fallaciâ blandiens. O quoties fit, ut Ratio, quam in capite, tanquam in Arce posuit Deus, per illecebras mulierum, aut pravarum libidinum, in gravissimas perturbationes, & regnorum ac provinciarum pestes rapiatur? Et quid mollius, ac effeminatius, quam illud Æoli:

----- tuus ô regina, quid optes

Explorare labor, mihi iussa capessere fas est.

Hoc dicunt, aguntque, qui femineis imperiis ac blandimentis aguntur. Cui non est lecta historia de *Nino* Assyriorum Rege, qui cum vel unum in diem uxori Semiramidi imperium permisisset, miser conjugis mandato in vincula coniectus, & imperio ac vita exutus est? Ælian. lib. 7. c. 1. Dio.

IV. (d) Subtiliùs fortassè per Junonem intelligas *Suspicionem* seu *Imaginationem* injuriæ, quâ homo correptus, inflatur velut Æolus, & turbulentos in omnem partem ventos, hoc est, furoris impetus spargit. Et enim Seneca teste, levissimis ex suspicionibus gravissimæ concitationes oriuntur. Et quid ingerit futilis hæc Juno. *Suspicio* inquam?

Incute vim ventis, submersasque obrue puppes.

Exere vires, & ostende, quid possit læsa patientia? quid injuria honori & famæ illata? quid utriusque defensio? Hic verò feroces surgunt

I i i 3

spiritus,

(c) *Feminarum imperium.* (d) *Suspicio causa iracundia.*